

liberatum : *Quare nos non potuimus ejicere illum? dixit illis Jesus : Propter incredulitatem vestram.... hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem et jejuniu[m].* Sæpe dæmones, primis exorcismis insensibiles, perseverantiae exorcizantis resistere nequeunt et tandem exeunt. Unde P. Surin, pietate et doctrina conspicuus, diu exorcizavit Joannam de Angelis, priorissam monialium ordinis Sanctæ Ursulæ Juliodunensis (*de Loudun*)<sup>1</sup>, anno 1624; et D. de La Cour<sup>2</sup>, missionarius Apostolicus, juvenem Cochinchinæ.

<sup>1</sup> Les possessions des religieuses de Loudun, attribuées à Urbain Grandier, originaire de Bouère, diocèse du Mans, curé de cette ville, et condamné, le 18 août 1624, à être brûlé vif comme sorcier, ont fait un très-grand bruit et ont été jugées diversement. Les Protestants, les philosophes et les incrédules en masse ont prétendu que ces possessions n'avaient rien de réel : qu'elles n'étaient que des impostures dirigées par Laubardemont, officier de la cour de Louis XIII, à l'instigation de Richelieu, pour perdre Grandier. Beaucoup d'autres soutiennent qu'une telle supposition est absurde : 1° parce qu'il n'est pas possible que Richelieu ait eu recours à de semblables moyens pour perdre un prêtre obscur qui ne pouvait lui faire ni bien ni mal; 2° qu'en supposant qu'il eût intérêt à le perdre, il n'aurait pas manqué de moyens plus simples et plus faciles que celui-là; 3° qu'il est impossible que tant de personnes estimables et craignant Dieu soient entrées dans un complot aussi infernal, sans qu'aucune se soit démentie; 4° qu'au moins cet abominable manège n'aurait pas continué après le cruel supplice de Grandier, et cependant les exorcismes sur les religieuses continuèrent longtemps après; 5° que le P. Surin, homme pieux et instruit, envoyé à Loudun après la mort de Grandier seulement, ayant tout vu par lui-même, et exorcisé pendant longtemps la mère prieure, est plus digne de foi que des étrangers qui jugent seulement d'après leurs idées : or, il a laissé un  *Abrégé de la véritable histoire de la possession de Loudun*, qui a été imprimé depuis peu, où il détaille et soutient la vérité des faits; 6° que des hommes distingués, entre autres M. de Queriolet, conseiller au parlement de Rennes, milord Montaigu et un jeune avocat, étant allés voir eux-mêmes les faits par curiosité, en furent tellement frappés, qu'ils se convertirent de la manière la plus éclatante.

<sup>2</sup> M. de la Cour dit, dans la lettre que Collet rapporte textuellement à la fin de son Traité de la Religion, t. II de la petite Théologie, p. 452, édit. de 1782, que ce jeune Cochinchinois, âgé de 18 à 19 ans, avait été possédé à la suite d'une communion indigne, comme il l'avoua plus tard. Averti par les Chrétiens de l'état où était ce jeune

nensem de quo ipse fuse loquitur in epistola ad doctorem medicum nomine Winslow, die 25 nov. 1738.

Circa possessiones dæmonum legi potest dissertatio Rondet, quæ est in Biblia dicta de Vence, in-4<sup>o</sup>, t. 13, p. 293.

#### SECTIO SECUNDA.— De irreligiositate.

Peccata irreligiositatis vel tendunt directe ad irreverentiam Dei, et sunt tentatio Dei, perjurium et blasphemia; vel tendunt directe ad irreverentiam rerum sacrarum, et sunt sacrilegium et simonia. De perjurio et blasphemia dicimus sub secundo præcepto. Hic ergo nobis dicendum est de tentatione Dei, sacrilegio et simonia.

#### Punctum primum.— De tentatione Dei.

1º Tentare in genere idem est ac rem vel personam aliquam explorare seu experimentum de ea sumere. Sic quandoque Deus tentat homines, volens de illis experimentum sumere, ut innotescat quid in hac vel in illa virtute possint aut non possint : eo sensu tentavit Abraham ut firmitas ejus fidei omnibus appareret, Job et Tobiam ut omnes patientiam eorum noscerent.

homme, il alla le trouver, lui parla en latin, ayant l'entièbre certitude qu'il ne pouvait avoir aucune notion de cette langue; le jeune homme répondit de suite : *Ego nescio loqui latine.* Ne doutant point qu'il ne fut possédé, il ordonna au démon de le jeter par terre, ce qu'il fit sur-le-champ : il lui ordonna de l'élever au plancher, et aussitôt le jeune homme fut trainé, à la vue de tout le monde, à travers l'église et le long d'un pilier, les pieds en haut, et collé au plancher, la tête en bas; au bout d'une demi-heure il lui commanda de le rendre à ses pieds, sans lui faire de mal. A l'instant, le démon le jeta comme un paquet de linge sale, sans l'incommoder.

Il fit les exorcismes d'abord pendant huit ou dix jours sans obtenir de succès : il profita de certains moments de calme pour le confesser, l'exciter à la contrition, l'absoudre et le faire communier, puis recommença les exorcismes et les continua pendant plus d'un mois. Enfin il se trouva soulagé, les vexations diminuaient peu à peu : il finit par être entièrement guéri et devint un excellent Chrétien.

Ce missionnaire, que Collet dit avoir particulièrement connu et mérité toute sa confiance, rapporte ces faits comme étant arrivés sous ses yeux. On ne se trompe pas sur des faits de cette nature.

2º Tentatio autem Dei est dictum vel factum quo quis explorat num Deus sit potens, sapiens, misericors aliamve perfectionem habeat; et duplex est, una formalis et altera implicita. Est formalis quando quis, de aliqua veritate divina dubitans, petit miraculum quo Deus eam manifestet; v. g., si de veritate praesentiae realis in Eucharistia dubitet, et petat ut Christus appareat visibilis; si ex turri se præcipitet, ut experiatur an Deus velit eum servare. Implicita ea est qua quis non expresse sibi proponit Deum tentare, sed id tamen facit quod ex natura sua est tentatio ejus; v. g., si temere se objiciat periculo ex quo non nisi miraculose eripi possit; si in morbo periculosso remedia naturalia omittat, sperans a Deo sanitatem; si clericus, extra casum necessitatis, concionari velit absque convenienti præparatione, auxilio Dei confidens, etc.

3º Certum est tentationem Dei formalem peccatum esse mortale, quia, cum dubitationem de perfectionibus Dei includat, in gravem ipsius contemptum redundat. Ita *Lessius, Sanchez, Suarez, Busenbaum*, etc.

Quoniam vero tentatio implicita nullam includit dubitationem de perfectionibus Dei, non est illi adeo injuriosa, et saepè est solum peccatum veniale, ob ignorantiam, inadvertentiam, defectum consensus aut parvitatem periculi; imo si justa adsit causa, v. g., Dei inspiratio, aliqua necessitas aut Ecclesie utilitas, nullum erit peccatum. Sic cum pluribus aliis, *Busenbaum, S. Ligoriūs*, etc.

4º Communiter docetur, contra quosdam, tentationem Dei explicitam, sine tamen dubitatione, non admittere parvitatem materiæ, ac proinde eum qui sola curiositatis causa petit miraculum, ut quid extraordinarium videat, graviter peccare, nisi ratione ignorantiae aut indeliberationis excusat; gravis est enim irreverentia erga Deum. Ita *Sanchez, Suarez, S. Ligoriūs* et alii contra *Cajetanum, Lessium, Busenbaum*, etc.

6º Quidam volunt eum qui in levi infirmitate, remediis naturalibus neglectis, sanitatem a Deo exspectat, graviter peccare; sed *S. Ligoriūs*, cum aliis pluribus, huic sententia omnino repugnat, et culpam venialem tantum hic ad-

mittit, dicens in hoc gravem non existere deordinationem, quia miraculum non petit curiositatis causa: addit se putare aliquando nullum esse peccatum, si nempe is homo speret fore ut sine remediis naturalibus, Deo adjuvante, liberandus sit.

7º Si vero materia sit gravis, v. g., si quis graviter ægrotans ad medicum non confugiat, aut remedia ejus contemnat vel negligat, si gravi periculo cadendi, immergendi, etc., absque necessitate se immittat, licet Dei potentiam vel misericordiam explorare non intendat, graviter peccat, quia vel nocumentum sibi vult inferre, et contra quantum præceptum peccat, vel sperat se Deo adjuvante salvum fore, et illum injuriose tentat.

8º Petere a Deo auxilium gratiæ extraordinarium ad magnam difficultatem spiritualem aut corporalem superrandam, ad convertendum peccatorem, ad felicem alicuius negotii exitum, etc., non reputatur tentatio Dei, sed potius est actus eum honorans. Item, communiter fatentur auctores licitum esse petere à Deo miraculum, ex ipsius inspiratione, ut plures fecerunt Sancti, et ad magnam Ecclesiæ vel etiam propriæ aut aliorum salutis utilitatem, modo petitio non sit absoluta, sed divinæ voluntati subordinata.

9º At miraculum absolute petere aut offerre non licet ad convertendum hæreticum vel alium insignem peccatorum, quia fidei nostræ testimonia auxilio gratiæ juncta sufficiunt. Si tamen aliquando firmissima sit spes conversionis, miraculum humiliter peti potest a Deo, sub conditione si ei placuerit. Ita, cum aliis, *S. Ligoriūs*, l. 3, n. 31.

10º Qui absque justa causa periculo mortis vel mutilationis ad perferendum martyrium se exponunt, graviter peccant, nisi bona fides aut divina inspiratio eos excusat, ut de pluribus Sanetis constendum est. Si vero legitima esset causa, v. g., ne fides aut salus multorum alias periclitetur, ad vitandas blasphemias, ad exaltandam fidem, ad procurandam Dei gloriam, martyrio se offerre licet. Ita *S. Th.*, 22, q. 12, art. 1, ad 3; *S. Ligoriūs*, l. 3, n. 32. etc.

*De probationibus olim usitatis, quæ vocabantur  
judicia Dei.*

1º Ut in accusationibus veritas a falso secerneretur, quando sufficietes deficiebat testes, varia olim instituta fuerant experimenta quibus subjiciebatur accusatus : si evadebat illæsus, judicabatur innocens; secus reputabatur reus, quia communis opinio erat Deum teneri causam innocentis in se sperantis per miraculum defendere.

2º Præcipuae illæ probationes erant : 1º juramentum super illustrium Sanctorum tumulis, v. g., S. Martini, S. Germani, SS. Dionysii et sociorum, præstitum. S. Aug. remisit Bonifacium presbyterum crimine pessimo accusatum, sed non convictum, ad tumulum S. Felicis Nolensis, ut per juramentum se purgaret, credens illum divinitus esse puniendum si perjurus esset, Epist. 78. 2º Sumptio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Sic in concilio Wormatiensi, anno 868 celebrato, statuitur ut monachi de furto suspecti pro purgatione sua corpus et sanguinem Domini reciperent. 3º Crucis et Evangelii impositio in caput accusati qui testari debebat per viventem in sæcula, cuius patibulum est crux, sese immunem esse a peccato hujusmodi. 4º Judicium ignis, in eo consistens ut accusatus ferrum candens aut carbones teneret et ferret, in aquam callidam manum immitteret, vel inter rogos incensos transiret; qui usus, ut refert P. Martène, t. 2, p. 928, Hincmaro est longe antiquior. Sic S. Brixius, Turonensis episcopus, anno 444 defunctus, de peccato luxuriae accusatus, prunas ardentes in birro usque ad sepulcrum S. Martini, una cum populorum turbis, portavit, et dixit, referente Greg. Turon., l. 2, cap. 1 : « Sicut istud » vestimentum ab ignibus videtis illæsum, ita et corpus » meum a mulieris coitu est impollutum. » Sic imperatrix Cunegunda vomeres candentes, ingemens ex necessitate in qua erat constituta et Deum suæ innocentiae testem invocans, nudo vestigio calcavit, et sine adusionis molestia secura pertransiit. Sic monachus Vallis Umbrosæ inter duos rogos accensos transit illæsus, anno 1067, ad or-

bandum quod Petrus, episcopus Florentinus, esset simoniacus; Fleury, l. 61, n. 27. 5º Immersio in aquam frigidam; qui super aqua manebant, reputabantur rei; Fleury, l. 47, n. 30. 6º Ubi agebatur de terminandis litibus, contendentes in singulare prælio decertare tenebantur, et victor jus obtinebatur; vel ambo stabant brachiis extensis in forma crucis, dum divinum celebrabatur officium, et qui primus ex aliqua parte movebatur, causa cadebat : hæc probatio dicebatur judicium crucis.

3º Ante singula probationum genera solemnes siebant preces, benedictiones et missarum celebrationes, ut videre est apud Martène, qui viginti ordines diversos refert, t. 2, p. 930 et seq.

4º Nihilominus constat apud omnes hujusmodi probationes in se graviter esse illicitas; nam 1º pertinent ad divinationem, quatenus ad cognoscendum occultum ordinantur; 2º ad tentationem Dei, siquidem miraculum ab eo sine necessitate petebatur : ubi crimen viis naturalibus cognosci non potest, relinquendum est judicio Dei secreta cordium scrutantis; 3º ab Ecclesia fuerunt reprobatae, et Stephanus V sic habet in Decreti 2<sup>a</sup> parte, causa 2, q. 5, can. 20 : « Ferri candardis vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri non censent canones. »

5º Si ergo quidam Sancti, ut S. Brixius, sancta Cunegunda, monachus Vallis Umbrosæ, suam innocentiam aut veritatem allegatam tali judicio miraculose probaverint, dicendum est eos ex speciali Dei instinctu sic egisse, aut Deum eorum fide vel necessitate in qua erant inculpabiliter constituti commotum, eos a tali periculo eripere voluisse, sicut olim Danielem suscitavit ad liberandam Suzannam.

6º Probatio autem per aquas amaras, cui mulier de adulterio suspecta subjiciebatur in veteri Lege ex Numer. v, 12, et seq., in nova Lege non existit, nec allegari potest ad ostendendum alias probationes quas Deus non instituit esse licitas.

Punctum secundum.—*De sacrilegio.*

1º *Sacrilegium* in genere definitur: *Violatio rei sacræ*, vel rei sacræ indigna tractatio. *De sacrilegio*, quatenus est peccatum luxuriæ, in dissertatione circa sextum præceptum egimus; nunc igitur nobis agendum de sacrilegio aliter spectato.

2º Nomine autem rei sacræ intelliguntur persona Deo consecrata per votum aut sacri Ordinis susceptionem, locus divino cultui vel sepulturæ ecclesiasticæ destinatus, et quælibet objecta a personis et locis sacris distincta, quæ divino cultui consecrantur, vel ab Ecclesia sanctificantur, ut vasa, linteamina, reliquiæ, sacræ imagines, etc.

3º Non est dubium quin violatio rei sacræ sit peccatum; nam sancta sancte tractanda sunt. Illud peccatum ex genere suo mortale est, quia Deo infert injuriam. Potest tamen fieri veniale defectu advertentiæ, consensus, aut propter materiae levitatem, v. g., si unus assis in ecclesia subripiatur.

4º Circa modos hoc peccatum committendi repetere nolumus ea quæ in citata dissertatione diximus: quædam tantum subjungemus de sacrilegio personali, locali et reali.

*Sacrilegium personale* locum habet quando persona Deo consecrata violatur vel peccat, quatenus est consecrata, v. g., si post votum castitatis emissum aliquid turpe dicat aut faciat, aut personam sacram ad id inducat; si clericus in sacris constitutus, monachus aut monialis percutiatur, adest etiam *sacrilegium personale*, propter legem Ecclesiæ id prohibentis: securus si ipse perjuret, si detrahatur, furetur, occidat, etc. Olim trahere clericum ad tribunal sacerdotiale, tributa ei imponere, erat *sacrilegium personale*, propter privilegium ecclesiasticum tunc existens.

*Sacrilegium locale* est omnis actus quo ecclesia, capella ad diviuum cultum in perpetuum destinata, vel cemeterium polluitur, vel aliquo modo profanatur. Causas pollutionis vide in *Tractatu de Eucharistia*, 2ª parte.

Ad eam speciem referuntur 1º omnia quæ speciale habent cum loci sanctitate aut cum divino cultu repugnan-

tiam, sive ex natura sua, sive ex prohibitione Ecclesiæ, quamvis locum, juxta sacerorum canonum dispositiones, non polluant, aut notorietas aliave conditio desit, ut effractio, spoliatio, incendium loci sacri, eversio altaris; 2º furtum in loco sacro etiam rei non sacræ, idque vi legis ecclesiastice sic se habentis, in *Decreti* 2ª parte, causa 17, q. 1, can. 21: « Similiter sacrilegium committitur ause-» rendo sacram de sacro, vel non sacram de sacro, sive » sacram de non sacro; » 3º conclamationes, deambula-» tiones, mercatus, judiciorum sacerdotalium strepitus in » ædificio sacro; non vero actus ad ipsam ecclesiam spec-» tantes, v. g., scannorum aliorumque sedium locatio; nec » conventus sacerdotalium, ubi rationabilis subest causa et acce-» dit episcopi licentia; sed tunc sacræ species in alium locum » decentem transferendæ sunt. *S. Ligorius* dicit, n. 37, ali-» quam moderatam deambulationem in ecclesia aut priva-» tam comedionem, etiam sine necessitate, non esse culpam » gravem si absit scandalum. 4º *Sacra Rituum Cong.* per » decretum 30 aug. 1701, a Clemente XI die 3 octob. ejus-» dem anni approbatum, declaravit « non licere cuicunque » personis regalibus tantum exceptis, ad ecclesias strata » sibi deferri facere; secus cessandum immediate a divi-» nis. Quod nisi servetur, rectores cæterosque ministros » ipso facto excommunicationem incurvare, eamque ecclë-» siam esse pro interdicta. » *Ferraris*, vº *Ecclesia*, art. 3, n. 25 et 29.

*Sacrilegium reale* est indigna objecti sacri, a personis et locis distincti, tractatio, v. g., 1º sacramentorum invalida confectio, administratio aut susceptio cum peccato mortali; 2º vasorum et instrumentorum sacerorum profanatio, ut calice uti in convivio, ornamenta benedicta ad usus profanos applicare; non vero ornamenta non benedicta, ut ecclesiæ tapetes, candelabra, pelvim et alia quæ mediate tantum divino cultui serviunt, nisi ex contemptu saltem implicito id fiat, ut si semper vel indifferenter ea sic applicarentur: ita *Busenbaum*, citans *Tamburinum*; idem affirmat dicendum de candelis, ramis, aqua, incenso et similibus benedictis, quia in modicis benedictionibus

istis nou agitur cum tanto rigore ab Ecclesia, ut patet in pane, ligno, carbonibus benedictis, etc.; 3º indigna sacrarum imaginum et reliquiarum tractatio; 4º Scripturæ sacræ abusus, ad stabiliendos errores, ad exprimendas res turpes, verba ejus *ad scurrilia, fabulosa, vana, adulaciones, detractiones, superstitiones... divinationes, sortes, libellos famosos*, etc., detorquere, ut ait concil. Trid., sessione 4, in fine: fragmenta autem librorum in quibus verba sacra inscribuntur, ad profanos usus adlibere sine contemptu, non est sacræ Scripturæ profanatio nec proinde sacrilegium; 5º bonorum Ecclesiæ invasio vel ablato, piorum legatorum suppressio, et jurium Ecclesiæ defraudatio. 6º Fragmenta vestium sacrarum in usus profanos non sunt convertenda, sed comburenda, ut in Tractatu de Eucharistia, 2ª parte, diximus. 7º Furtum reliquiæ etiam parvæ grave est sacrilegium, nisi præsumatur dominum non fore valde contristatum. Ita plures apud *S. Ligoriūm*, lib. 3, n. 45. 8º Qui tenetur ex officio curare ut vasa sacra, corporalia aliaque similia sint munda et bene ordinata, sacrilegii fit reus si ea relinquit immunda. 9º Quidam dicunt omne peccatum die Dominicæ vel festiva commissum, malitiam sacrilegii ex circumstantia diei contrahere; sed alii communius negant, nisi notabilis irreverentia cultui divino irrogetur; ut si quis die sexta Majoris hebdomadæ exhiberet comedias, indicaret saltationem, etc. Sic cum aliis multis *S. Ligoriūs*, l. 3, n. 46.

5º Exprimenda est in confessione species sacrilegii, an sit personale, locale, vel reale, et ejus materia; quia ex circumstantiis personæ, loci et objecti sæpe nova additur malitia, vel augetur, et sic qualitas aut gravitas peccati dignoscitur.

Punctum tertium. — *De simonia.*

Simoniæ nomen ortum habet a Simone Mago, qui viens Apostolos manus imponentes et Spiritum sanctum conferentes, mirabilem hanc virtutem vili pecuniæ pretio emere voluit. Hoc vitium diu antea tamen exstitit, si-

quidem videmus in Scriptura sacra Balaam a rege Balac conductum ad maledicendum populo Israel, Num. xxii, 7; Giezi famulum Elisei talentum argenti et vestes mutatorias petentem a Naaman pro sanitate divinitus recuperata, IV Reg. v, 22; Jasonem multa talenta offerentem regi Antiocho pro summo sacerdotio, II Mach. iv, 8; Judam Christum vendentem, etc.

Breviter dicturi sumus 1º de definitione, divisione et malitia simoniæ; 2º de variis modis quibus committi potest simonia; 3º de causis ab ea excusantibus; 4º de poenitentia contra simoniacos decretis; 5º de obligatione restituendi ex simonia nascente; 6º parvam de beneficiis appendicem subjungemus.

1º *De definitione et divisione simoniæ.*

Simonia communiter definitur, cum *S. Thoma*, 22, q. 100, art. 1: *Studiosia voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituale annexum.*

Dicitur 1º *studiosa voluntas*, quia nullum potest esse peccatum sine actu directo vel indirecto voluntatis liberæ seu studiosæ.

Dicitur 2º *emendi vel vendendi*; quibus verbis intelligitur omnis contractus non gratuitus, sive sit nominatus, sive non nominatus, v. g., do ut des, facio ut facias.

Dicitur 3º *pretio temporali*, id est, pecunia aliave qualibet re pretio æstimabili. Triplex hujusmodi pretium distinguitur, scilicet munus a manu, munus ab obsequio et munus a lingua. Munus a manu est qualibet res mobilis vel immobilis pretio æstimabilis et indebita; munus ab obsequio est quodvis ministerium indebitum in rebus temporalibus, et præstatum vel præstandum, ut si episcopus conferat canonicatum clerico quia gessit vel gesturus est ejus negotia; munus a lingua, per quod intelliguntur laudes, favores, intercessiones, preces et alia similia, ut si des alicui pecuniam ut te coram episcopo laudet, pro te intercedat, etc.

Dicitur 4º *aliquid spirituale*, id est, res vel actio sacra,

ad cultum Dei vel animæ salutem ordinata, ut gratia, virtutes, oratio, sacramenta, aut alio modo supernaturali, ut omnes actus jurisdictionis ecclesiasticae, sanatio miraculosa, etc.

Dicitur 5º *vel ei annexum*, id est, quod ad spirituale ordinatur, vel ab illo pendet, vel ei conjungitur, ut jus ad officium ecclesiasticum praesentandi, labor administrationi sacramentorum necessarius, proventus beneficii.

Simonia quam modo definitivimus est juris divini naturalis et positivi: prohibetur quia mala est in se, ut emptio vel venditio etiam virtualis vel implicita rei sacræ qualis, v. g., hostiæ consecratae, sancti chrismatis, sacramenti, reliquiae, etc. Alia est simonia juris ecclesiastici, et est quilibet pactio etiam implicita, circa spiritualia aut annexa spiritualibus, a lege ecclesiastica intuitu religionis prohibita. Pactio hujusmodi malitiam simoniae non habet ex natura sua, sed tantum ob Ecclesiæ prohibitio nem intuitu reverentiae erga res sacras factam. Lex enim habet vim efficiendi ut ipsius objectum sit materia illius virtutis *ex cuius motivo fertur*, inquit P. Antoine: sic communio a non jejuno facta est sacrilegium, quia Ecclesia, ex motivo reverentiae, vetuit sumptionem eujuslibet rei ante communionem. Unde, v. g., Ecclesia prohibens permutationem beneficiorum ob periculum simoniae, et sub poenis in veros simoniacos latis, efficit ut haec permittatio privata auctoritate facta, ad simoniæ pertineat.

Simonia in genere dividitur in mentalem, in conventionalem, in realem et in confidentialem. Simonia mentalis, ut ordinarie accipitur, non est tantum propositum internum aliquid spirituale aut spirituali annexum pro temporali vel aliter contra Ecclesiæ legem dandi aut accipiendi, sed actio externa facta ex intentione simoniaca exterius non apparente, v. g., si quis obsequiose serviat episcopo *principaliter* ex intentione canonicatum vel alium titulum ecclesiasticum obtinendi.

Simonia conventionalis ea est quæ fit cum externa conventione expressa vel tacita dandi vel accipiendi quidquam spirituale aut spirituali annexum pro temporali,

aut aliter contra Ecclesiæ legem. Potest esse pure conventionalis, si nempe, pactione facta, nihil traditum fuerit; et semirealis, si videlicet ex una parte tantum objectum promissum, sive spirituale pro temporali, sive temporale pro spirituali traditum fuerit.

Simonia dicitur realis quando ex utraque parte est completa per reciprocam traditionem, saltem inchoatam, spiritualis aut spirituali annexi, pro temporali aut aliter, contra Ecclesiæ prohibitionem.

Simonia confidentialis in eo consistit, ut quis postulatione, commendatione vel alia ratione, alteri procuret beneficium, v. g., episcopatum, canonicatum, parochi officium, cum pacto ut titularis pensionem vel aliquos fructus ex eo procuranti vel aliæ personæ præstet, aut ipsum beneficium ad talem personam transmittendum curret, demissione in tempore opportuno, rogatione aut alia via. Dicitur confidentialis, quia procurator bonæ fidei secum pactizantis confidit.

3º Simonia est peccatum religioni oppositum et gravissimum, idque patet 1º ex Scriptura sacra, nempe ex verbis Christi ad Apostolos, Matth. x, 8: *Gratis accepistis, gratis date*; et ex verbis B. Petri ad Simonem Magum respondentis, Act. viii, 20, 23: *Pecunia tua tecum sit in perditionem... in felce enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse*. Hæc verba grandem evidenter significant iniuriam; 2º ex jure canonico; multa enim citari possent concilia, multa summorum Pontificum decreta, et in primis Decret., 2ª part., causa 1, q. 1, can. 5, 7, 21 et 27, ubi dicitur simoniæ esse «piaculare flagitium, execrabile flagitium; simoniacos comparandos esse Judæ proditori, qui Judæis Dei occisoribus Christianum vendidit, et omnia crimina ad comparisonem simoniaca hæresis quasi pro nihilo reputari;» 3º ratione; sola quippe natura dictat summum esse malum res spirituales, de liberali manu Dei pendentes, omnia temporalia incomparabiliter superantes, arbitrio hominum aestimationi eo modo subjecere. Ergo.

4º *Notandum* simoniæ juris humani seu ecclesiastici